CHRIS[illegible] Autor,
[illegible] rum,
Dum [illegible] eus esto
[illegible] liber!

Notandum ex hoc libro

de Melanchtone pag -- 215

quod sit Sacramentarius

de Brentio quod iis etiam

in nonnullis faveret 220.

D. O. M. A. E. C.

Disputatio XIII.

COLLEGII CORPORIS DOctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,

DE BAPTISMO.

SUB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLENTæ, SS. Th. D. eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

JOACHIMO GLAMBECIO Neo-Trep. Pom.

Publicè in Auditorio majori, Ianuar: habenda.

REGIOMONTI,

Typis Laurentii Segebadii, Anno 1625.

VIRIS

Magnifico, Reverendis, Clarissimis,
Excellentissimis, Doctissimis

Dn. GEORGIO MYLIO

SS. Theologiæ Profess. in celeberrimâ Regii-Borussorum montis Academiâ Pub.; Ecclesiæ Cathedralis Cniphovianæ pastori fideliss. Consistorii Sambiensis adsessori digniss. & p. t. Rectori Magnifico.

Dn. M. JOACHIMO BABBATIO, Ecclesiæ Cathedral. Cniphovian: Diacono vigilantissimo.

NEC NON

Amplissimis, Consultissimis, Spectatissimis

Dn. BERNHARDO Fahrenheit } Senatoribus Reipub. Cniphov: eminentiss.
Dn. REINHOLDO Eggert

Dn. CYRIACO Verbandt
Dn. JOHANNI Schimmelpfenning
Dn. PETRO Michel
dictæ Reipub. Cniph. Scabinis digniss.

Dominis Fautoribus ac Promotoribus suis submissè colendis,

Theologicam hanc Disputationem offert & dedicat Respondens.

Disputatio XIII.

DE BAPTISMO.

Respondente
JOACHIMO GLAMBECIO.

Vidimus præcedenti disputatione, quænam sit natura, indoles, & genuina *Sacramentorum* in Genere conditio: Nunc ad specialem de Baptismo διάσκεψιν, juvante DEO, nos accingimus, observatâ nobis consuetâ methodo.

I. Sedes hujus Loci in Libello nostro repetiti.

Repetitus est hic Articulus I. ex *Augustæ Confess.artic.*IX. qui sic habet: De Baptismo docent (Ecclesiæ magno consensu) *quod sit necessarius ad salutem, quodq; per Baptismum offeratur gratia* DEI; *& quod pueri sint baptizandi, qui per Baptismum oblati* DEO, *recipiantur in gratiam* DEI. *Damnant Anabaptistas, qui improbant Baptismum puerorum, & affirmant pueros sine Baptismo salvos fieri.*

Deinde ex *Artic.Smalcald.part.3.Artic.*V.

de Baptiſmo, ubi D. *Lutherus de Baptiſmi* negotio hunc in modum diſſerit: *Baptiſmus nihil eſt aliud, quam verbum* DEI, *cum merſione in aquam, ſecundum ipſius inſtitutionem, & mandatum, ſive, ut Paulus inquit, lavacrum in verbo; ſicut & Auguſtinus ait: Accedat Verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Quare non ſentimus cum Thoma, & Monachis prædicatoribus, ſeu Dominicanis, *qui verbi, & inſtitutionis* DEI *obliti dicunt*: Deum ſpiritualem virtutem aquæ contuliſſe, & indidiſſe, quæ peccatum per aquam abluat. *Non etiam facimus cum* Scoto, & Minoritis ſeu Monachis Franciſcanis, *qui docent, Baptiſmo ablui peccatum ex aſſiſtentiâ divinæ voluntatis, & hanc ablutionem fieri tantum per* DEI *voluntatem, & minimè per verbum.*

De *Pædobaptiſmo* docemus: *Infantes eſſe baptizandos. Pertinent enim ad promiſſam redemptionem per Chriſtum factam. Et Eccleſia debet illis Baptiſmum, & promiſſionis illius annunciationem.*

Denique ex ſcriptis B. *Lutheri* aliis: qualia ſunt tres Conciones de Baptiſmo, & reliqua, quorum mentionem faciunt auctores libelli noſtri.

II. Summa articuli de Baptiſmo, prout ab auctoribus noſtris pertractatur.

Præmiſſâ Articuli hujus tractationi, neceſſariâ, de Hæreticorum corruptionibus Sacramen-

cramento antiquitùs ac potissimum circa B. Lutheri, postque eius obitum tempora, intentatis admonitione, & sententiæ orthodoxæ declaratione; De *Baptismo* in specie *tùm* in Thesi; *tùm* in Antithesi agendum duxêre auctores libelli nostri.

In *Thesi* proponunt 1. In quonam Natura, & essentia Baptismi consistat; quibusque partibus absolvatur? Ubi *duo* ponuntur. 1. *Externum Elementum*; & 2. *Verbum* DEI, quo elementum aquæ apprehendatur.

2. Quodnam sit *Officium*, & quæ *Efficacia* Baptismi? ubi subjungitur assertio; 1. quod *Baptismus sit lavacrum regenerationis* Tit:3. v.5. Joh:3 v.5. 2. quod *nos mundet & sanctificet*, Ephes:c.5.v.26. *justificet & salvet*, Tit.3. v.5. 2. additur *determinatio* actionis illius supernaturalis, quæ Christo ut causæ *principali*, ac primariæ Efficienti adscribitur; operationem illam per Baptismum ceu medium exserenti ex Rom:6.v.3.4.1.Pet.3.v.21. Gal.3.v.27. *Deinde* ex *Augustin* lib.6.contra *Donatist*.cap.28.lib.d. *cataclysmo* cap.3.& super *Psal*,105.*Denique* ex B. *Luth*.loco anteâ allegato.

3. Quid de infantibus parentum fidelium, ante Baptismum ex hac vita decedentium sit sentiendum, & quæ consolationes, in casu eiusmodi inopinato opponendæ? ubi allegatur judicium B. *Luth*. & *Bugenhagii* in libellis suis consignatum.

In *Antithesi* taxatur Error *Calvinianorum*

1. Quod *Calviniani* actionem Dei *separent*, ab actione Baptismi, quasi remissio peccatorum ex parte Dei, non offeratur per actionem Baptismi.

2. Quod fidelium *liberi* inde ab utero & nativitate sint *sancti*, vereq; eo ipso membra Christi in regno DEI, & in fœdere gratiæ. Unde sequitur, quod Baptismo infantes non regenerentur; nec per eum conferantur, & applicentur iis beneficia Christi, ut sunt remissio peccatorum; liberatio à morte, & salus æterna; sed omnia illa duntaxat significentur.

3. Quod *Exorcismus* ab actu Baptismi, planè sit repudiandus, idq; propter errorem præcedentem, numero autem secundum. Singulis opponitur refutatio. *Primus* confutatur in generali de Sacramentis dissertatione. *Secundus* exploditur argumentis ductis 1. à *malo originali*, ejusq; tyrannide, Joh:3.v.6. 2. à *necessitate* Baptismi ibid.v.5. 3. à *conditione* regni Dei, & regni Diaboli 2.Cor.6.v.14. 4. à *testimonio Davidis* Psal.51.v.6. 5. à testimonio *Pauli* Eph.2.v.3. 6. à testimonio *Augustini* lib.2. de peccator.meritis, & *Tertulliani*. *Tertius* retunditur ab *Exorcismi* fine, & usu legitimo, ex *Lutheri* præfat: in formulam Baptismi in Catechismo; *Cypriani* lib.4.Epist.7.*Augustini*.lib.2. de nuptiis & concupiscentia: *Nazianz*: de Baptismo, &c.

III. Ex-

III. *Explicatio Theseos, vel sententiæ Orthodoxæ.*

In Orthodoxæ sententiæ de Baptiſmo explicatione, brevibus nobis lineolis ſequentia expedienda erunt membra. 1. Vocis Baptiſmi originatio, & evolutio. 2. Definitio. 3. Cauſæ. 4. Axiomata Generalia. 5. Adjuncta.

De Primo.

1. Baptiſmus derivatur à Græco βαπτίζειν, h.e. *tùm* immergere; *tùm* aſpergere: utraque ſignificatio in ſacris occurrit paſſim, ac in ſpecie de Sacramento Baptiſmi, *Act.*2.*v.*41.*Heb.*9.*v.*3.*cap.*10.*v.*22.*cap.*12.*v.*24.

2. *Variè* capitur 1. *latiſsimè*, & denotatur Baptiſmus doctrinæ 1.Cor.10. v.2. ac totius miniſterii Matth:21.v.5.Act.19.v.3. 2. *latiùs*, ac innuitur Baptiſmus *Sanguinis* tàm λύτρον, quàm μαρτύριον: alias dicitur Baptiſma crucis, de quo Matth:20.v.23. Mar.10.v.38. Luc: 12. v.50. 3. *latè*, ac vocatur Baptiſma *flamminis* vel *ignis* Matth.3.v.11. denotatque dona Spiritus S. ſingularia; quale eſt linguarum Act:1. v.5. cap.2.v.3.cap.19.v.5. 4. *ſtrictè*, ac *propriè*, ac vocatur Baptiſma *fluminis* ſeu aquæ, de quo nobis in ſequentibus agendum.

De

De Secundo.

Est autem Baptismus *Sacramentum Novi Testamenti, in quo homines in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti aquâ asperguntur, ut regenerentur & renoventur.* Definitio hæc causalis plenius ex evolutione singularum caussarum intelligetur.

De Tertio.

1. Caussam *principalem* vel *efficientem*, datâ operâ subticuimus in definitione; memores illius moniti: *Affectio rei generalis non est repetenda in definitione speciei* ad evitandam ταυτολογίαν. Diximus autem disputat: præcedenti, DEum esse causam ejusmodi Sacramentorum in *Genere*, ac in *specie* Novi Testamenti: utriusque θεάνθρωπον Christum JEsum, & quidem *immediatam* Matth:28.v.19.Mar.16.v.15.

2. *Ministerialis* etiam ex præcedenti disputatione peti poterit; quam diximus debere esse 1. in *Ecclesiâ, non extra eam.* 2. in ministerio *legitimè* constitutam; atq; hactenus intelligimus administrationem Baptismi extra necessitatis casum: Hoc verò urgente & imperante, alias personas administrare posse Baptismum, statuimus sequentibus canonibus.

1. *Quilibet extra officium Ecclesiasticum constitutus verè Christianus* (h. e. in religione rectè institutus) *potest in casu necessitatis Baptismum* con-

conferre, sive sit vir, vel masculus; sive fœmina. Ubi requiritur 1. ut *persona ministrans* sit ex Christianorum numero, adeoq; in gremio Ecclesiæ constituta: rationē supra habuimus, quia Sacramenta sunt bona Ecclesiæ; utique non nisi ab Ecclesiæ membris conferri possunt.
2. Indiscriminatim ponitur; ita ut potestas illa administrandi sese ex æquo extendat tùm ad viros tùm ad fœminas, ex *Gal.3.v.28.1.Pet.3. v.7.c.2.v.9.* Quare proscribimus iterùm ab hoc actu *Paganos*, h.e. *Turcas*, *Iudæos*, *&c.* (intelligimus autem Paganos professione.) Hi namq; nec sunt *in* Ecclesia, quippe non inserti fœderi divino per Baptismum; nec per verbum DEI regeniti, *nec de Ecclesia.* Arcemus insuper *Diabolum*, quocunque tandem modo sive ater, sive albus subrepat: sicq; vel scientibus, vel ignorantibus imponat: Quod tamen impossibile fieri; statuere non dubitamus: 1. ob tremendæ, ac SS. Trinitatis præsentiam in actu Baptismi ritè peragendi: quâ cacodæmon fugatur. 2. ob hominum astantium preces, quibus etiam pellitur. 3. ob formulam Baptismi cum pronunciatione verborum in nomine S. S. Trinitatis: quâ perterritur. Jac.2.v.19. 4. ob efficaciam Baptismi ac fructum, quo juri Satanæ renunciatur; Baptizatus ex potestate Satanæ, in regnum DEI asseritur, & transfertur. Impossibilem igitur ejusmodi casum ajmus; vel si contigerit ex permissione divinâ;

Baptiſmi talis *nullitatem*; ſeu luſum merum Diaboli pronunciamus. 1. ob defectum promiſſionis Efficaciæ per Diabolum; 2. ob contrarium Chriſti ipſius baptizantis *principalis*, & Diaboli *miniſtrantis* (ex hypotheſi) ceuque ἀσπόνδȣ Dei hoſtis, perpetuam pugnam; ita ut nulla communio actionis Chriſto, & Belial intervenire poſſit, 2. Cor. 6. v. 15. Ergo nec in Baptismo tali. E. Baptiſma tale erit prorſus irritum, quippè ad quod Chriſtus (qui aliàs per miniſtros ſuos principaliter baptizat, ipſiusq; ſanguis in Baptiſmo ab omni peccato nos mundat 1. Joh. 1. v. 7.) cum ſuâ actione heîc non concurrit obtinente diabolicâ baptiſmi adminiſtratione.

2. Canon: *Caſu neceßitatis urgente, Baptiſmus ab Hæretico peti poteſt; in defectu miniſterii legitimi, ac ſinceræ religioni addicti.*

3. Nomine *Hæretici* intelligimus ejusmodi, qui tamen non impugnat SS. Trinitatis myſterium, nec formulam Baptiſmi pervertat; neque inſuper ullâ ex parte eſſentialia Baptismi mutet: Alioquin ubi in aliquod horum impingere deprehenſus fuerit Hæreticus, irritum pronunciare non dubitamus talem Baptiſmum. Uti igitur Baptiſmum à *Calviniantis*, & *Pontificiis* adminiſtratum, pro rato agnoſcimus; ideo 1. quod tales Hæretici ſint in *Eccleſiâ* (licet non ſint de Eccleſiâ) 2. quod omnia Baptiſmi *eſſentialia* retineant; utut iisdem

dem multa de humanis inventis affuant præsertim Papicolæ: Ita ab *Arriano*, præsertim apertè religionem suam profitente (claneulariorum enim alia est ratio in officio Ecclesiastico constitutorum,) â *Photiniano*, ab *Anabaptistâ* &c. Baptismum nullatenus licet petere: Siquidem hi omnes articulum de Trinitate S.S. blasphemant, conviciis proscindunt; sanguinem insuper Christi, quo in Baptismo abluimur, pedibus conculcant; meritum ad hæc Christi, in morte, passione, & resurrectione pro nobis præstitum, penitùs evacuant; in quò tamen Baptismus noster fundatus est, Roman: 6. v. 3. 1. Pet. 3. v. 21. Ac proinde meritò dubitamus, num Hæretici Arriani, Photiniani, Ebionitæ, &c. sint Ecclesiæ accensendi, vel adnumerandi: Parùm quippe differunt à Paganis, & Judæis; si ceremonias & opinionem de adventu Messiæ exceperimus: Atque ab eis Baptismum collatum, cum Baptismo Paganorum æquiparare non dubitamus. Quod si igitur necessitas summa efflagitarit baptizandi, haberiq; talium hominum copia possit; potius à privato Christiano, mare sive fœminâ conferendum esse Baptismum judicamus, quàm à semipaganis istis petendum.

4. *Materia* Baptismi ex quâ est 1. Res *terrestris*, h. e. Elementum externum aquæ visibile, Eph: 5. v. 26. Joh: 1. v. 33. c. 3. v. 5. Act: 16. v. 47. 2. Res *cœlestis* invisibilis.

5. De

5. De re terrena, seu Baptismi Materiâ, h.e. aquæ Elemento Axiom:

1. *Aqua in Baptismo sit 1. vera, 2. naturalis, 3. ac simplicior* reliquis.

6. *Vera* esse jubetur, ne supposititia adhibeatur, quæ aquę figuram externam quadantenùs: non verò formam essentialem præ se ferat: quales sunt liquores & humores varii colorem aquæ repræsentantes.

7. Deinde *naturalis* esse debet, ad differentiam aquæ *artificialis*, quæ per destillationes ex herbis elici solet, vel arte variâ parari Proinde innuitur aqua *fontium, fluminum, stagnorum*.

8. Denique jubetur esse *simplicior*, ac purior reliquis; qualis ex fontibus, & fluminibus hauritur; impurior quæ ex mari & stagnis, præsertim paludinosis; illa igitur his præferenda.

2. *Ob qualitatem frigidam, tepidam, & calidam aquæ veritati substantiali nil decedit.* Proinde institui poterit sic exigentibus circumstantiis delectus, num aquâ frigidâ, num tepidâ: an verò calidâ quis Baptismum administrari expetat: ubi substantiali parti nil decedit: licet veteres adhibuerunt aquam frigidam.

3. *Quicquid genere, vel specie differt ab aquâ Elementari, non potest esse Materia Baptismi.* Sic *arena, Sal*, & id genus arida alia nequeunt esse Baptismi Materia: quia toto *genere* differunt ab aquâ: Sic *Nix, glacies, grando*, quia *specie* diffe-

differunt ab aqua Elementari, pro Materia Baptismi usurpari nequeunt. Huc referendum lixivium, brodium, urina, cerevisia, lac, sudor, &c. Ratio quia unio Sacramentalis inter hæc, & inter rem cœlestem nullibi est promissa; Ergò nequit esse Baptismi materia. Ubi nec casus necessitatis aliquam admittit exceptionem.

4. *Aqua in Baptismo accepit virtutem sanctificandi, ex tactu mundissimæ, sanctissimæq; carnis Christi, & ejusdem Baptismo ad Iordanem*; accedente insuper singulari ordinatione, & institutione Christi. Cæterùm illa virtus derivata est ad omnem aquam; non propter continuitatem *loci* cum aquâ Jordanis; sed propter similitudinem *speciei*, uti inquit *Thomas* ex *Gregor. Nazianzen. Hieron. August. &c.*

9. De Re *cœlesti* non est eadem omnium Theologorum nostratium sententia. 1. *Quidam* statuunt *verbum* Institutionis *tùm* mandati; *tùm* promissionis. 2. *Quidam Spiritum S.* ex Joh: 3. v. 5. 3. *Quidam S. S. Trinitatem*, ex verbis Institutionis Matth: 28. v. 19. 4. *Quidam* Christi *sanguinem* ex 1. Joh: 1. v. 7. Heb. 9. v. 22. 5. *Quidam* denique *Christi sanguinem*, & *Spiritum S.* unitìm, subalternatè tamen.

10. Nos *tertiam* sententiam amplectimur, asserendo: *Rem cœlestem in Baptismo esse Sacro-Sanctam Trinitatem, DEum Patrem, DEum Filium, & DEum Spiritum S.* sub quâ reliquæ tres sententiæ comprehendun-

duntur. Siquidem mentione *Filii* DEI intelligitur θεάνθρωπος, vel filius DEI incarnatus; idcirco ſanguis Chriſti nullatenus excluditur à Baptiſmo: nec poteſt quidem, quia omnem ſuam virtutem, & efficaciam habet Baptismus â Chriſti ſanguine 1. Joh:1.v.7. ideo quod fundatus ſit in morte, & reſurrectione Chriſti, uti ſupra dictum ex Rom:6.v.3. 1.Pet.3.v.21.

II. Materia *circa quam*, ſunt perſonæ *Baptismi* capaces: de quibus *Axiomata*.

1. *Soli homines ſunt baptizandi.* Idq; 1. ex *mandato* DEI Matth:28.v.19. Mar.16. 2. Apoſtolorum *executione*, qui non niſi ſolis hominibus Baptismum contulêre. 3. ex *fine* Baptismi, h.e. regeneratione, & mundatione à peccatis, reconciliatione, juſtificatione, ſanctificatione; qui effectus ad ſolos homines in miſeriam prolapſos pertinent. Et ſic excluduntur 1. *Monſtra.* 2. *res brutæ.* 3. *inanimatæ*, ut campanæ, &c.

2. *Omnes Gentes ſunt baptizandæ* Matth:28. v.19. nam 1. ad quos ſeſe extendit Euangelii præconium; ad eos etiam pertinet Baptismus: duo hæc namq; â Chriſto conjunguntur d.l. Mar:16.v.15. *Deinde* quorum DEUS vult ſalutem ſeu *finem*; pro iis etiam inſtituit ſalutis *media*: juxta illud πολυθρύλλητον: qui vult finem, vult & ſuppeditas media. Jam verò DEUS vult ſalutem omnium hominum 1.Tim:2.v.4. etiam eorum, qui propriâ culpâ pereunt; uti

diſput:

disput:5.probatum. E. pro omnibus instituit media salutis, in quorum numero est etiam Baptismus. Porrò idem probatur *à morte, & resurrectione Christi*, in quibus Baptismus fundatur: Jam verò Christus pro *omnibus* sanguinem fudit, Heb.13.v.12. pro *omnibus* mortuus est, etiam impiis Rom.5.v.6. 2.Cor.5.v.14. pro *omnibus* gustavit mortem Heb.2.v.9. pro *omnibus* resurrexit, Rom.4.v.24. 1.Cor.15.v.4. 2.Cor.5.v.5. *Insuper* id probatur â vindictâ DEI, qui in contentum Baptismi (ut & aliorum salutis mediorum) severè animadvertere solet Marc.16.v.16. Luc.7.v.31.seq.

12. Cæterùm sub *Gentibus* continentur *Masculi & fœminæ* (Act.8.v.12.c.16.v.15.) *infantes & adulti*: Ubi *limitatio* necessariò est addenda. Ac quidem quoad *adultos*: 1. ratione *certi ordinis*; ita ut nullus infidelium adultorum baptizetur, nisi per Euangelium in Christianismo fuerit probè informatus: præcedit namq; in Christi mandato, *docete*, postea sequitur *baptizate*. 2. *ratione modi*, ita, ut nullus *tacitè*, & *violenter* ad Baptismum rapiatur ex adultis: Deus namq; requirit populum spontaneum Psal.110.v.3. nec illud compelle intrare eousq; extendendum; sed ad externam *pædagogiam*, & auditum verbi DEI, ac fidei; non verò ad fidem, & Sacramenta. 3. ratione *qualitatis*, ita ut rationis compotes, non verò *amentes*, vel *furiosi* baptizentur. Quoad *infantes*

fantes, tantum abest, quin excludantur à Baptismo; quippe sub familiis comprehensi in Actis *cap.16.v.15.33.cap.18.v.8.1.Cor.1.v.14.16.* 2. *Promißionis* factæ à Deo compotes, & consortes *Act.2.v.39.* 3. à Christo *invitati*, & vocati *Matth.19.v.13. Mar.10.v.14. Luc.18.v.15.16.* 4. malo originali *obnoxii*, à quo per Baptismum liberandi, caroq; de carne nati *Ioh.3.v.6.* 5. *participes* regni cœlorum destinati, *Luc.18.v.16. Mar.10.v.14. Matth.19.v.14.*

13. Ubi vicissim *limitatio* addenda multiplex. Intelliguntur namque 1. infantes *vel Christianorum*, adeoque hominum ad regnum Dei conversorum; 2. totalitèr ex utero in mundum exclusi: oportet namque prius nasci ex toto, quam renasci. 3. vitâ certò præditi, non verò mortui, aut incertò vivi. 4. de quorum baptismo antea collato nil certô constet, v.g. de Expositiis. *Vel Paganorum* eorum, 1. qui in potestatem Christianorum deveniunt; sic namque pars familiæ fidelium evadunt: utut parentes in atheismo perseverent, & tunc iis, licet invitis eripi, & communioni Sanctorum associari debent. 2. qui fœderi divino per Baptismum *inserti*: tunc enim facti Christiani, jus baptizandi infantes Ecclesiasticum adepti sunt, more aliorum Christianorum.

14. Alioquin *Paganorum* parentum *professione*, libertate adhuc integrâ gaudentium infantes, iis invitis baptizari non debent; nec

possunt

possunt ritè, quàm diu sub, & in potestate parentum fuerint; ne hoc pacto sanctum detur canibus *Matth.7.v.6.*

15. *Forma* Baptismi exprimitur verbis Institutionis *Matth.28.v.19.* h.e. ipsa actione, & administratione Baptismi: de quâ *Axiom:*

1. *Actio baptizandi formanda est verbo præsenti*: Quale est, *baptizo*; hoc enim totam actionem Sacramentalem exprimit: Hoc tamen tempus præsens Ecclesia Græca in Imperativum mutavit: *baptizetur.*

2. *In actione baptizandi, baptizans & baptizandus distinguitur.* Id quod innuit terminus Te: adeò ut nemo sibi Baptismum ritè conferre possit; nisi qui duo principia velit confundere.

3. *In actu Baptismi, DEI, & Ministri actio conjungitur, nequaquam verò separatur*: Ratio, quia Minister, non *suo*; sed DEI nomine baptizat: vel potius DEUS per Ministrum baptizat.

4. *Actio Baptismi duplici constat requisito.* 1. *expreßâ* SS. Trinitatis *pronunciatione*; *in nomine* DEI *Patris, Filii, & Spiritus S.* 2. *aquæ aspersione*, juxta formulam institutionis.

16. *Finalis* causa Baptismi est 1. *Communis*, & 2. *Specialis.*

17. *Generalis* seu *Communis* est, ut Baptismus sit *signaculum* promissionis, verbo anne-

xum, imbecillitatis nostræ corroborandę gratiâ, Rom. 4. v. 11.

18. *Specialis* finis Baptismi Sacramenti est 1. *Regeneratio*, Joh: 3. v. 5. Tit. 3. 5. 2. *Iustificatio*, ac omnium peccatorum *remißio*, tàm *originalis*, quàm *actualium*, non ut amplius non sint; sed ut non imputentur. *Act.* 2. v. 38. 3. *Adoptio* in filios DEI, *Ioh.* 1. v. 13. *Rom.* 8. v. 15. *Eph.* 1. v. 5. *Tit.* 3. v. 7. 4. *Sanctificatio*, & *renovatio*, Rom. 6. v. 4. 20. 21. *Gal.* 6. v. 15. 1. *Cor.* 6. v. 11. 5. *Salus*, & *vita æterna*, Tit. 3. v. 5-7. 1. *Pet.* 3. v. 21. 6. *Certitudo fidei* de remissione peccatorum; seu bona conscientia erga DEUM, 1. *Pet.* 3. v. 21. 2. *Cor.* 1. v. 21. 22.

19. Atque hi fines Baptismi sunt *principales*; *Secundarii* sunt 1. *obedientiæ* nostræ erga DEUM testificatio; 2. *Signum*, nota, & tessera, Ecclesiam ab infidelibus cœtibus distinguens. 3. *Symbolum* communionis sanctorum.

De Quarto:

ubi *Axiomata de Baptismo Generalia*.

1. *Baptismus non est opus humanum; sed institutum verè divinum.* 1. ob *auctorem* ipsum DEUM 2. ob *actionem* in ritu baptismi verè *divinam* quippe præsens in eo tota S. S. Trinitas (in cujus nomine administratur) DEUS *Pater* 1. Pet

3. v. 21

3.v.21. Tit.3.v.5. DEus Filius Ephes.5.v.25.26. Rom:6.v.3. 1.Pet.3.v.21. Gal.3.v.27.29. DEus Spiritus S. Joh.3 v.5. Tit.3.v.5. 3. ob *effectum* verè *divinum*, qualis quidem multiplex modò circa causam finalem enumeratus fuit.

2. *Baptismus est unus*, Eph.4. v.5. *tùm specie*, adeò ut *Iohannis Baptistæ* Baptismus non sit divisus â Christi baptismo statuendus; sed *unus* ac idem tùm *specie*, quippe non sine Spiritu S. nec sine remissione peccatorum *Ioh.1. v.*32.33. sed ex Christi *institutione* Joh:1.v.26.27. 30.32.c.3.v.27. unde etiam fructum, & effectum adeptus, *Ioh.1.v.*26. 29.33.36. tùm numero: utut enim pars terrena baptismi numero multiplicetur pro diversitate locorum: non tamen ullo modo pars cœlestis, una numero per omnia permanens, ubi ubi tandem baptismus administretur: neque enim vel tota SS. Trinitas, vel sanguis Christi, vel Spiritus S. numero, aut specie multiplicantur. Ergo nec Baptismus.

3. *Baptismus est ordinariè necessarius ad salutem*, Joh 3 v.5. Et sic effatum intelligendum. 1. Sub ratione *possibilitatis*, h.e. si haberi possit, negligi non debet. 2. modo *ordinario*: Hinc excipiuntur infantes Christianorum parentum, vel in utero extincti, vel morte inopinatâ, & repentinâ anteversi: de quibus benè sperandum ob preces piorum parentum, & totius Ecclesiæ: Et hinc DEus rectè dicitur non

esse alligatus caussis secundis, extra quas operari pro beneplacito extraordinariè potest. 3 ad evitandum *contemtum*, is namque, non verò privatio Baptismi damnat. 4. extra necessitatis casum.

Porrò necessitas Baptismi emicat ex ipsius fine, & effectis paulò ante enumeratis: ubi etiam vid.

4. *Baptismus est prima porta Gratiæ; primus ad Ecclesiam introitus; janua ad Christianismum: clavis regni cælorum, nec non Christianismi initiatura.* Est namq; medium regenerationis, reconciliationis, remissionis peccatorum; adoptionis, renovationis, sanctificationis; introitus in regnum cœlorum, & ad salutem æternam: uti supra dictum. Huc pertinet effatum *Caßiodori in cap.7. Canticor: Baptismus est fons divinus, quo fideles in novam creaturam regenerantur*: Hinc dicitur Baptismus *Sacramentum initiationis.*

5. *Baptismus est depositum quoddam preciosissimum omnium bonorum salutarium; merito Christi nobis acquisitorum.* Nam uti Dn. *Chemn.* in Harmonia cap 17. scribit: *Quicquid Christus in corpore carnis suæ promeruit, & acquisivit; id omne in Baptismum reposuit*: idq; ideò, quia Baptismus in morte & resurrectione eius est fundatus.

6. *Baptismus non est iterandus.* Ratio: uti enim in se numero *unus* est; ita non nisi *semel* administrandus *uni individuo humano*; quippe

eius

eius efficacia durat per omnem vitam: neque enim fœdus ex parte Dei unquam irritum redditur Rom. 3. v. 3. plures rationes vide *in Exeges. Dn. Mentz. p. 414. seq. Dn. Hutter. Loc. de Baptism. fol. 649.* Intelligimus autem effatum, de *certò, legitimè*, ac ritè *baptizatis*, juxta institutionem divinam: Aliàs de baptizatis à *Paganis, Photinianis, Arrianis, Antetrinitariis*, tenemus decisionem Concilii Nicæi ex canon. 19: *Si ab eiusmodi, aliqui homines baptizati, ad Catholicam confugiant Ecclesiam; omninò baptizandi sunt:* quem canonem approbavit Concilium *Arelatense secundum, cap. 16.* in simili casu. Parem processum teneri oportere asserimus cum iis, *de quorum baptismate certò non constat Ecclesiæ*; ut sunt *infantes* expositi citra certificationem baptismi collati ac suscepti.

7 *Baptismus est Sacramentum fidei.* I. ex parte Dei, qui per hoc Sacramentum in baptizandis ipsisq; adeò infantibus fidem ex merâ gratiâ operari vult. 2. ex parte *infantis baptizati*, qui per baptismum regeneratur, ipsoque actu fide salvificâ donatur; ac sic in filium, & hæredem vitæ æternæ cooptatur. 3. ex parte *susceptorum*, à quibus professio fidei in ritu baptizandi exigitur, quæ *tùm* infanti mediante hoc Sacramento, accedentibus simul Ecclesiæ precibus communicatur; *tùm* in eâ infans educandus Deo ac Ecclesiæ vovetur.

De Quinto.

ubi de Baptismi *Adjunctis* & *circumstantiis*.

I. De *tempore* duo quæri possunt 1. Quandonam Baptismus à Christo sit institutus? ubi *responsio* est expedita eorum, qui in tempus ante passionem Christi; baptismi institutionem collocant, post habitum cum *Nicodemo* colloquium primo anno ministerii inchoati, quo etiam Christus omnium primùm templum ingressus esse legitur Johan: *c.2.v.13. ex Mal 3.v 3.* Matth: verò c.28.v.19. non tùm primùm baptismus institutus; sed *repetitus*, & *confirmatus*. 2. Quonam tempore infantes recens nati baptizandi? Ubi simplex, & salutaris est responsio eorum, qui ocyus baptizandos esse suadent infantess, quàm primùm in lucem nati fuerint; nec Baptismum ob periculum inopinatum differendum, judicant. Et *contrà*: quo citiùs per Baptismum regenerantur, eò certiores etiam de ipsorum salute, parentes esse possunt.

II. De Loco. Etsi Deus in templis manu factis non habitet: attamen Ecclesiam suam in unum convenire vult; cui etiam præsentiam suam gratiosam promisit, *Matth.18.v.8. cap.28.v.20.* Convenientior itaque locus Baptismo antiquitus destinatus est *templum*, in quo

quo alia sancta ordinariè peragi consueverunt (ubi casus necessitatis excipitur) præsertim in congregatione Ecclesiæ, ad quam Sacramenta ordinariè sunt alligata: ita sentiente *Concilio Moldensi, Anno* 845. *cap.* 48. *Constantinopolitan.* VI. *Can.* 59. *Synodo Colonensi* 1549. *Can.* 15.

III. De *Patrinis*, seu susceptoribus 4. observanda. 1. Quo *tempore* cœperint adhiberi? 2. Quodnam eorum *officium*? 3. Quisnam *delectus* adhibendus? Quotnam *adhibendi*? Quoad primum: non obscura deprehenduntur hujus ritus antiquissimi vestigia apud *Dionysium lib. d.* Hierarchia *Ecclesiastica cap.* 2. *Tertull: lib. d. baptismo &c.* licet de prima origine non usq; adeò satis constet.

Quoad *secundum*. *Officium* Patrinorum. 1. ut infantes per Patrinos Christo adducantur. 2. ut precibus suis Christo commendentur: sicque in consortium regni cœlestis cooptentur. 3. ut infantes post fata parentum, interveniente curâ patrinorum, in pietatis & morum fundamentis erudiantur, & honestè educentur, ita monente B. *August: serm.* 6. *Pasch.* & *Dom.* 10. *post Trin.*

Quoad *tertium*: *Delectus* Patrinorum summoperè requiritur; ac juxta sequentes *Canones* instituatur.

1. *Patrinus esto baptizatus*: non *baptizatus verò arceatur*, juxta cautelam de *Consecrat. dist:* 4. *In baptismate.*

2. *Patrini tenentur esse â parentibus infantis diversi*: idque ideò, quia debent succedere Parentibus in gerendâ infantis baptizati curâ.

3. *Patrini ad annos discretionis pervenientes, ac in pietatis fundamentis probè instructi adhibendi.* Quo nomine excluduntur 2. *Infantes*, 2. *amentes*, & *stolidi*; 3. *furiosi*: tales namq; & id genus alii nihil infanti spondere possunt, nec etiam promissis stare.

4. *Patrini honestæ, ac inculpatæ vitæ; puriorique religioni ex asse addicti eligendi.* 1. Debetur namque reverentia Sacramento divinitùs instituto; ipsiq; Deo in actu tali præsentissimo: qui peccatores contra conscientiam non exâudit, Joh: 9. v. 31. 2. Quia infans debet in eorum disciplinam devenire post parentum fata: qualis verò institutio â beluis & propudiis ejusmodi hominum speranda est? Deinde requiritur Patrinus non modò ipsemet in orthodoxâ religione educatus; verùm etiam eidem sincerè addictus, ut imposterùm susceptivum suum, parentis vice in religione orthodoxâ instruendum, ac informandum curet. Hinc *Veteres* infantibus, in locis ab extraneâ religione suspectis, & periculosis hunc in modum consultum voluêre; quò semper patrini doctiores seligerentur. Vid. *Dionys. Areopag. lib. de* Hier. Eccles *part. 2. c. ult. Augustin. serm. paschali citante*, Gratian. *de consecrat. dist. 4. cap. Vos ante omnia.*

Mali

Malè E. liberis suis consulunt, qui in testes baptismatis *Papicolas*, vel *Calvinianos* adhibent; hunc in modum lupis oviculas committentes. Quod si verò finis iste principalis non attendatur; sed *testificatio* de infantis *prognatione* ex thoro legitimo, in usus futuros, qui quidem mos plerumque fermè obtinet: ibi Patrini à religione alieni admittuntur: *principali* tamen pensi habito; bona conscientià adhiberi posse exsortes nostræ religionis; negamus.

Quoad *Quartum*: *Numerus Patrinorum non debet peccare tùm in defectu, tùm in excessu.* In *defectu* peccat: si præter unicum nullus alius adhibeatur. In *excessu* peccat numerosâ patrinorum copiâ, & multitudine; quæ quidem in *ditioribus* luxum, & fatuitatem; in *pauperioribus* verò quæstus faciendi finem arguit. Proinde sapientes, & prudentes æstimantur, qui *duos* aut *tres* susceptores cooptant, ex consilio DEI *Deut.17.v.16.c.19.v.15.Matth.18.v.17.2.Corinth.13.v.2.*

IV. Circa *Formam* Baptismi de sequentibus *quæri* solet.

1. De *aspersionis* modo: utrum trina aspersio sit de necessitate? Respondetur, quod sit de *Ecclesiæ libertate*: temerè tamen non abroganda, tùm ob repræsentationem *Trium* personarum divinitatis; *tùm* ob antiquam consuetudinem, jam à temporibus *Hieronymi* in

Ecclesiâ celebratam; uti colligitur ex *comment: super Ephes.4.*

2. De *Signo* Crucis: Num in ritu baptismi adhibendum, & quidem necessariò? Respondetur ex *libertate Ecclesiæ*, ad admonendum astantes, & baptizandum, de nullo medio reliquo, quo infans ex potestate Satanæ eripiatur; inq; regnum Christi transferatur; præter crucem, seu meritum Christi.

3. De *Exorcismo*: ubi brevibus nostram declaramus sententiam; eum esse ritum 1. *ἀδιάφορον* h. e. indifferentem; adeoque in Scripturis nec mandatum; nec prohibitum. 2. *antiquitùs* in Ecclesia usitatum tempore *Tertulliani*; *Cypriani lib.4. Epist.7. circa Ann.250. Gregorii Nazianzeni in Orat. de S. Baptismi lavacro An. 370. Chrysost: homiliâ de Adam & Evâ*; *Ambrosii* de Sacram: lib.1. cap.5. *August. lib.1.* de peccat: meritis, & remissione *cap.34. lib.2. de peccat. orig: cap.40. lib.6.* cont. Julianum, Pelag: *cap.2. lib. primo* de nuptiis & concupiscentia *cap.20. & lib.2. cap.18. cap.29.* circa *Annum* 380. Optati Milevitiani in *lib.4. cont. Donat: Gregor. Mag. lib. de Sacr.* 3. Propter usum *Significativum*: in quibus nempe miseriis infans ante Baptismi usum versetur, ceu iræ filius *Eph.2. v.3.* quodq; inde non nisi per Baptismum liberetur.

Cœterum de *Exorcismo* disputat: ult. de adiaphoris plura monebuntur: de reliquis insuper *Adjunctis*, & *Circumstantiis* fusiùs disse-

ren-

rentes alii Theologi videantur Dn. Hutterus p. n. loc. c. de Baptismo cap. 5. in appendice Dn. Gerhard. Tom. loc. Com. de Baptism. Dn. Meisner. in Collegio de Adiaphoris.

IV. Explicatio Antitheseos.

Veteres *Hæreses* nullibi adeô copiosæ occurrunt, ac quidem circa præsentem locum de Baptismo; quas jam secundum tenorem tractationis nostræ recensebimus.

Circa *causas* Baptismi, & quidem I. circa *Materiam* erraverunt 1. *Manichæi*, Aquam Baptismi partem minimè essentialem esse statuentes; ideo quod à Diabolo sit creata, referente B. *Augustin. lib. de hæresib. c. 46.* 2. *Seleutiani.* 3. *Herminiani* aquam *non necessariò* debere adhiberi in Baptismo contendentes, apud *August. d. l. cap. 59.* 4. *Iacobitæ*, Baptismum igne perficiebant, inusto baptizandis in fronte cauterio, in formâ crucis: quos hodiè Æthiopes imitantur.

II. Circa *Objectum*, vel *Subjectum* 1. *Cataphryges*, non tantùm vivos; sed etiam mortuos baptizabant apud *Augustin: hæreses 26.* 2. *Marcionitæ* idem fecisse leguntur, perperam huc applicantes illud 1. *Cor. 15. v. 29.* imò nimis ridiculè: Si quis enim sine Baptismo ex hac vitâ discesserat; infra hujus lectum; alium sed vivum occultabant: rogabantque posteà mortuum: *num vellet baptizari?* pro quo vivus respon-

spondebat; *quod sic: baptizabatur itaque vivus pro mortuo.*

III. Circa *Formam* 1. *Quidam* baptizabant in *tribus principiis*; tribus *filiis*; tribus *paracletis*, uti habet *Can.* 49 *Apostolorum.* 2. *Quidam*, ut *Gnostici* baptizabant in nomine *ignoti* patris omnium; in *veritate matris* omnium; & *in nomine descendentis* Jesu, &c. 3. *Quidam*, formâ terribili, & monstrosà, fictis in hunc finem peculiaribus vocabulis uti refert *Iren. lib. 1. adversus hæreses cap. 18. sect. 4.* 4. *Quidam* blasphemâ apud *Euseb. lib. 7. Histor. Eccles. cap. 8.* 5. *Ariani* baptizabant in nomine *Patris Majoris*; filii *Minoris*, &c. apud *Augustin. de hæres. cap* 49. 6. *Quidam*, ut Eunomiani baptizabant non in nomine Trinitatis, sed in mortem *Christi* apud *Socrat. lib. 5. cap. 13.* 7. *Quidam* baptizabant in nomine Patris *increati*; filii *creati*; in *Spiritus S. sanctificantis*, qui à filio creatus sit. 8. *Quidam* baptizabant formâ *corruptâ*: in nomine Patris, per filium, in Spiritu S. apud *Theodor. lib. 2. Collectan*: & *Nicephor lib. 16. cap. 15.*

IV. Circa *Effectum* peccabant 1. *Pelagiani*, contendentes, infantes in baptismo nequaquàm regenerari, nec mundari à peccato ullo; sed ideo, ut simpliciter regnum cœlorum consequantur, aliàs omnis peccati expertes, apud *August: lib. de hæresibus cap. 88.* 2. *Messaliani*, omnem vim Baptismo derogantes, eamq; soli precationi adscribentes. 3. *Origenistæ* pecca-

tum

tum duntaxat tegi per Baptismum, nequaquam autem fomitem eius minui asserentes.

V. Circa *Modum* administrandi Baptismum exorbitabant *Marcionitæ*, contendendo; *ter* suscipiendum esse baptismum 1. in *ætate* pueri li propter peccatum originis; 2. & 3. in *adultiore*, apud *Epiphan. Hæres.* 42. Huc referendi suo merito *Hemerobaptistæ*, Baptismum *quotidiè* reiterare soliti. Ad hanc Classem spectat hæresis *Montani*, quâ deceptus etiam fuerat *Cyprianus* de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis; quam refutavit *August. tract.* 11. *in* Iob.

VI. Circa *Adjuncta*, *Exorcismum* in ritu Baptismi nequaquam esse usurpandum, vel tolerandum, *Pelagiani* contendebant, apud *August. lib. 6. contra Iulian. Pelag. cap. 2. & lib. 2. de nuptiis, & concupisc. cap. 18. 29.*

Alterum agmen ducunt *errores Scholasticorum* varii.

1. Circa *Formam* Baptismi, quos prolixè recenset Dn. *Hutterus* p. m. Loc. de Bapt. f. 638. seq. ubi eos ad decem classes reducit.

2. Circa *Effectum* Baptismi docebant: Infantibus baptizatis, solummodò habitus virtutum Theologicarum v. g. Fidei, Caritatis, & Spei infundi; non verò actus illarum: *Lombard. lib. 5. dist. 4. Thom. part. 3. Quæst. 69. art. 6.*

V. De Hæresibus renovatis.

I. *Pontificiorum* variè errantium 1. Circa

Desi-

Definitionem Baptismi delinquunt tùm Scholastici antiquiores; tum *Gregor. d. Valent.* qui cum Thomâ parte 3. *Quæst.* 66. *art.* 1. sic definit Baptismum, quod sit *ablutio corporis exterior facta sub præscripta formâ verborum.* Tom. 4. *Comment. in Thom. disp.* 4. *Quæst.* 1. *punct.* 1. Eam verò pro mutilâ agnoscit *Bellarm: lib.* 1. *de Bapt. cap.* 1. & præfert ei quæ in *Catechismo Romano* extat, quod Baptismus sit *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* Quæ tamen naturam definiti non exhaurit.

2. Circa *Definitionem Nominis* prævaricatur *Bellarmin. lib.* 2. *de Bapt. cap.* 1. Baptismum per *solam immersionem* explicans: Contra *Mar.* 7. *v.* 8. 1. *Cor:* 10. *v.* 2. *Hebr.* 2. *v.* 3. *&c.*

3. Circa 1. *Subjectum*, quale *Pontificii* fingunt esse 1. *Campanas*, quibus etiam certa nomina imponunt. 2. *Plurimi* loco aquæ sumi suadent *lixivium, brodium*, *Greg. de Valent.* Tom. 4. *disp.* 4. *Quæst.* 1. 3. *Communiter* non nisi exorcisatâ aquâ baptizandum esse, docent.

4. Circa caussam *Ministerialem* â Pagano Baptismi administrationem in casu necessitatis efficacem concedendo Bellarmin. *lib.* 2. *de Baptism. cap.* 7. *contra Gregor. Epist.* 2. *ad Bonifac.* & *Gratian. de consecrat. dist.* 4. *cap.* 52.

5. Circa *Formam*, ad essentiam Baptismi necessario requiri *Benedictionem* fontis; *salem, salivam, signum* crucis; *exsufflationem*, *Exorcismum.*

mum. Vide *Becan. Manual. lib.2. cap.2. pagina* 874.

6. Circa *Efficaciam* Baptismi, 1. peccatum originale prorsus per Baptismum deleri & aboleri *Bellarmin.lib.2. cap.12.13.* 2. Animæ *characterem* imprimi. *Concil. Trident. Seß.7. can.9. Gregor. de Valent. Tom.4 disp.3. Quæst.4. punct.3.* 3. Infantes *alienâ* fide credere (& salvari) Becan. *Manual. lib.2. cap.2. de fide infantum, §.15. pag.491.* 4. Infantibus verò *habitum* duntaxat fidei, & aliarum virtutum infundi. *Bellarm. lib.2. cap.11. Becan. d.l. pag.490.* 5. *Baptismum esse efficacem ex opere operato.* Concil. *Trident. Seß.7. can.8.* 6. *Baptismum esse minoris efficaciæ,* quàm *confirmationem, unctionem, &c.* 7. *Martyrium, & pœnitentiam* ejusdem *efficaciæ* esse cum Baptismo, *Bell. lib.2. de Bapt. cap.11.*

7. Circa *Axiom: de Unitate Baptismi*: plures quippe fingunt specie & numero. 1. *Iohannis Baptistæ*, cujus Baptismum diversum fuisse specie fingunt. *Bellarmin. lib.2. de Bapt. cap.20.21.22.* ex decret. Concil. *Trident. de Baptismo Iohannis: can.1.* cum tamen essentialibus requisitis cum Baptismo Christi conveniat.

2. Addendo *novam aliam speciem Baptismi,* v.gr. 1. *aquam lustralem*; 2. Baptismum *cucullarem*; quem ratione valoris æquiparant vero Baptismo.

II. *Calvinianorum* exorbitantium.

1. Circa causam *Administram* Baptismi; nullatenus 1. vel in necessitatis casu extremo ad Baptismi administrationem admitti posse, vel debere, *laicum* vel *fœminam*, ita *Calviniani* in communi.

2. Circa *Materialem*, loco aquæ substitui posse omnis generis liquorem, v. gr. *lac, cerevisiam, lixivium* statuunt. 2. pro re *cœlesti* substituunt *promißionem remißionis peccatorum*. *Dan. Tossan. de Bapt. contra artic. visit. Misnic. th. 2. Heidelb. Catech. Quæst. 69.*

3. Circa *Efficaciam*, quâ Baptismum spoliant; ac in *significativam* transmutant. Hinc negant Baptismum esse ad salutem necessarium, autve fidem operari in infantibus: quos sanctos ab utero asserunt.

4. Circa *Axiom.* de *Unitate* Baptismi, duplicem comminiscuntur Baptismum 1. Externum aquæ; per quem sordes corporis: 2. Internum Spiritus S. per quem peccata abluantur.

Qui omnes & id genus alii errores refutati reperiuntur in Exeges. *Dn. Mentzer. Aug. Conf. artic. 9. membr. 6. pag. 420. seq.*

V. Circa *Ritum* Baptismi; *Exorcismum* ex Ecclesiâ ceu rem impiam, & Magicam proscribendo, cum *Pelagianis*.

Dispiciamus insuper sententiam *Calvinistæ Bergii* & periculum faciamus, num omnia ex amussim congruant cum verbo DEI, quæ

ille

ille in sua Wiedertyposi der heylsamen Lehr proponit? Arti. 13. Concionatur Bergius de Sacramento Baptismi, institutis aliquot Quæstionibus. I. Wie nötig die Tauffe sey? Ubi respondet: Baptismum esse necessarium omninò, ob mandatum Dei; adeò ut nemo citra salutis dispendium, eundem vel contemnere; vel negligere debeat, possitve. Plura in hanc sententiam vide *disputat. de re Sacramentar.* Thes. 69. 70. 71.

Hæc satis orthodoxè prolata videntur primâ fronte: sin verò ulteriùs quæras: *num Baptismus non modò necessitate mandati; sed etiam quatenus est medium salutis ac regenerationis ordinarium sit necessarius?* Heîc Bergius post carecta latitat: pro eo verò Patriarchæ respondent negando, Nam *Calvinus* Baptismum esse de necessitate salutis vocat *dogma exitiosum lib. 4. Instit. c. 15. §. 20.* Sadeel quoque ingenuè fatetur, *non esse suam & sociorum sententiam*; si quis dicat: *Baptismum esse ad salutem necessarium*, in respons. *ad fidei profess. Burdegal. artic. 11. pag. m. 88. edit Genev. in 8vo* A. 1596. ubi etiam expressè distinguit inter necessitatem *mandati*, & *salutis*; illam admittit; hanc negat. Idem facere Bergium, quis dubitet? an autem juxta Hypotyposin sanorum verborum? N. ex Joh: c. 3. v. 5.

II. Was die Tauffe sey? Respondet Bergius; Baptismum non esse nudum signum; sed efficax, publici pacti, adeoque signum fœderis

inter Deum & nos initi: ubi nota. Definiri Baptismum per *signum*: id quòd si de fine & usu signi Sacramenti accipiat; non reprehenderimus: sin verò signum de *essentia* Baptismi esse statuat, uti quidem non aliter mentem suam explicat *disput: allegat.* Thes. 48. 49. 50. 51. ex *Calvini* instit. l. 4. c. 15. s. 1. minùs legitimam ejusmodi definitionem vel descriptionem pronunciamus ex *Tit.* 3. v. 5. *Ephes.* 5. v. 26. 27. vld. definitio à nobis assignata.

III. **Wer zur Tauffe gehöre?** Respondet *Bergius*: subjectum baptizandum esse omnes ac solos credentes, eorumq; liberos. Contra *Matth.* 28. v. 19. *Act.* 2. v. 39. (Ad quos enim pertinet promissio; ad eosdem promissionis obsignatio per Baptismum) plura circa mater: Baptismi membr. 3. vid. confer *Eph.* 2. v. 12. 13. c. 4. v. 17.

IV. **Von der krafft und wirckung der Tauffe:** Ubi notandi errores:

I. à Bergio statui; quod *soli fideles eorumq; liberi per baptismum regenerentur*: ideo quod ad hos solos spectet Baptismus. *Resp.* per distinct: inter adultos & infantes: *illos* jam in fide informatos, adeóque credentes debere baptizari; atque tunc Baptismus ipsis evadit in Sacramentum confirmationis exemplo *Cornelii* Act: 10. *Hypocritas* verò minimè per Baptismum regenerari fatemur. Infantes quod attinet, vicissim non indiscriminatim regene-

ratio-

rationis effectum eos sortiri aimus, sed observatâ limitatione suprâ *Membr.3. thes.13. & 14.* Quæstio verò principalis est: *Num omnes infantes quotquot in Ecclesiæ gremio nascuntur & baptizantur; simul etiam regenerentur, adeoque fœderi divino inserantur?* Heîc in negativam concedit *Bergius*, disput:alleg: th.91. (ubi distinguit inter judicium *caritatis* & *fidei*) 93.94 Infantes namque reprobi, aut etiam reproborum parentum minimè regenerantur; siquidem fœdere divino excluduntur, ex ipsius hypothesi; neque fide salvificâ donantur unquam. Contra Act.2.v.39. Gal.3.v.27,28.29. 1.Cor.12.v.13. Joh.3.v.5. Col.3.v.11. 1.Pet.3.v.21. Idipsum evincit etiam collatio Baptismi cum circumcisione Gen:17. per quam infantes regenerabantur, & fœderi divino inserebantur.

II. In regenerationis actu infantibus, *non veram*; sed *æquivocam fidem* conferri in *disput.th.87.* his verbis: *Vnde plane æquivocè; vel si mavis analogicè Fidem infantibus tribui manifestũ est, præsertim actualem: Quæ non magis in eos videtur competere, quàm peccatum actuale, &c.* Nos exinde colligimus: nullum infantem salvari, cum moritur: ratio, quia nullus infans verè; sed æquivocè credit. E. etiam æquivocè salvatur; qualis namque fides, talis salus: Nemo enim servatur, nisi interveniente fide, fatente *Bezæ Vol.1.fol.17.*

III. *Regenerationem illam non realiter, & propriè per baptismum conferri, sed jam antè collatam per eum significari.* Probatur 1. ex verbis expressis Bergii d. l. 5: Nicht zwar/ als ob dem eusserlichen Tauffwasser für sich/ 2c. solche geheime krafft gegeben würde: sondern weil jhnen solches alles in vnd durch die Tauffe kräfftiglich von GOtt bezeuget wird. 2. ex *explicatione* ipsius Bergii disput: thes. 88. ubi statuit infantium *adoptionem* in fœdus, & *regenerationem non incipere* in ipso Baptismi ritu, sed eum antevertere, idq; ex æterno & absoluto Electionis decreto, thes. 104. 3. ab ὁμοψηφίᾳ Pelargi contra Dn. Balduin. thes. 104. sic scribentis: *Neque verò fœdus illud à Baptismo incipit; antiquius est, & cum Patre credentium, omnibusque posteris longè prius sancitum: neque necesse est argumari, qualem Infantes in Baptismo sanctitatem consequantur: cum ille novam* (NB.) *non conferat*, sed à *Christo partam, & fide apprehensam obsignet.* 4. à *Confessione Calvini lib. 4. instit. c. 15. sect. 2.* negantis: *salutis causam in hoc Sacramento percipi*: *Bezæ* in colloq: Mompelg: p. 433. ubi manifestam *Idololatriam* pronunciat, quà remittendorum peccatorum & renovandi cordis hominum vis ad aquam, quantumvis Sacramentaliter transferatur. 5. à negatione *regenerationis* per Baptismum, ex *sement. Zwinglii*, part. 2. oper. ad

Carol.

Carol. V. art. 7. p. 541. Piscatoris contra Taufrer. p. m. 81. ita scribentis: *Ego certè statuo, neminem prorsus, sive infans, sive adultus sit, per Baptismum regenerari.* Quorsum E. adhibetur Baptismus? Heic respondent unanimitèr candidiores *Calviniani*: ut nimirum sit regenerationis *signum*: contra *Ioh. 3. v. 5. Tit. 3. v. 5. Eph. 5. v. 26. 27.*

IV. Baptismum esse *duplicem*. *Vnum Externum* aquæ; *Alterum Internum* Virtutis Spiritus S. & sanguinis Christi; *illo* corpus; *hoc* animam ablui, mundari, ac purificari. Id namque 1. sibi volunt verba illa §. 4. d. l. daß alle Gläubigen / vnd der Gläubigen Kinder an jhrer Seelen / durch krafft des Geistes vnd Bluts Christi widergeboren/vnd von Sünden gewaschen werden; so gewiß als sie eusserlich am Leibe mit Wasser getaufft sind/ ꝛc. 2. Idem probatur à Baptismo *Hypocritarum*, eorumq; liberorum; ut & reproborum: negant enim hosce *intrinsecè* h. e. cum effectu regenerationis conjuncto; sed tantum *externo* Baptismo baptizari, citra regenerationem: *Berg.* disput: thes. 94. 3. *Insuper* ex expressis aliorum Calvinianorum verbis, quibus *duplicem* statuunt Baptismum: *Calvin.* super 1. Cor. 12. & *lib. 4. Instit. c. 15. s. 8.* Beza *in colloq. Mompelgard.* pag. 475. Catechis: *Heidelb.* pag. 41. Trelcat.

lib 2.*p* 194.195. Harm: Confess. *cap.*20.*p.m.*90. Confess: Bohem: *cap.* 12.*p.*92. Confess: Gallic: *art.*38. At inquis Calvinianos agnoscere *Vnitatem* Baptismi? Resp: fateor: sed addo 1. ratione *iterationis* contra *Anabaptistas*: 2. ratione *multiplicatæ* consecrationis contra *Pontificios*: non verò ratione *essentiæ*, & efficaciæ ejusdem *numero*, vel *specie*: vid: *Harm.Confeß.p.*89. 90. Frustra ergo *Bergius* heic effugia, & diverticula quærit §.5.in Wieder*typosi* suâ errores illos modò commemoratos, & in *artic.*12.*Prutenico* rejectos, non modò excusando; verum etiam procul â suâ sententia removendo. Nimirum: 1. *Baptismum non esse medium ad salutem Efficax*; sed *esse nudum signum & figuram*. 2. *Baptismum non esse necessarium ad salutem*. 3. *Credentes non posse esse certos ex Baptismo percepto, num ipsi eorumq; liberi sint in fœdere* (Ast hic error est vestratium Theologorum *Bergi*? Si enim Baptismum multa millia infantum accipiunt, qui tamen nunquam regenerantur; sed in æternum pereunt; quis jam eos ex percepto Baptismo poterit reddere certos; num sint in fœdere, an secus? Quin tuus *Piscator* disertè negat ex Baptismo percepto per se quenquam firmum solatium haurire: contra *Taufrerum* p.m.) 4. *Baptismum non esse efficacem*. Nil horum esse Calvinianis affictum, præcedentia satis evincunt. *Bergii* potiùs purum putum figmentum est, quando §.6.d.l. nostratibus tribuit

buit

buit opinionem de *opere operato* quâ regenerationem in Baptismo, ob nudam ceremoniam, & recitationem verborum Baptismi; à qua tamen opinione nos longè esse alienos adeò benè novit, ac proprios digitos. Remisso autem hoc errore ad Pontificios, confitemur: Baptismum juxta institutionem Christi administratum esse lavacrum regenerationis, & renovationis: adeoque fidem in ipso actu Baptismi, infantibus (in Ecclesia natis) conferri: non verò ante eum eosdem *immediatè* (modo ordinario) donari: sic enim, omnes essent sancti adeoque regeniti ab utero, quod tamen non admittit *Berg.* disput. thes: 81. (ut ut simulatè uti patet ex *Hypotyposi.*) Neq; juxta hypotyposin sanorum verborum loquitur, statuendo: *infantes fide parentum regenerari*: Commentum hoc ceu *Papisticum* explodimus: infantes verò uti non alienâ; sed propria fide vivere, justificari ac salvari; ita regenerari indubitatò pronunciamus. *Hab.*2.*v.*4. *Rom.*1.*v.*17 *Gal.*3.*v.*11. *Hebr.*10.*v.*38. Et semper in conspectu habenda est Salvatoris sententia *Marc.*16. *v.*16. ex quâ colligimus: uti Baptismum in proprio non alieno corpore oportere suscipi; ita fidem propriam non alienam requiri ab iis, quicunque regenerationis ac salutis evadunt particeps. Gravi insuper accusatione nostras onerat Ecclesias, ac si fidem, quam infantibus tribuunt, non considerent, ut ma-

num, seu organum, quo gratiam in Baptismo oblatam apprehendat. *disp. thes.* 97. Contrarium verò doceri in nostris Ecclesiis ignotum esse non debuit Bergio, si candoris esset studiosus; Neque enim *aliam* infantibus; *aliam* verò adultis tribuunt; sed eandem *specie*, juxta illud *Eph.* 4. *v.* 5. *una fides*: perpetuò ut manum mendicam considerant ob fiduciam, Christum cum suo merito & Gratiâ apprehendentem, sibiq; applicantem: Sicque docendo propiùs accedunt ad Normam verbi divini, quàm *Bergius* cum complicibus: fidem infantibus *æquivocam* h. e. fidem pictam & fictam adeoque non fidem tribuendo: Quo pacto nec fiduciæ, nec manus officium sustinere poterit; neque alicujus organi, quo Gratia in Baptismo oblata apprehendatur. Brevitèr: non erit fides, nedum salvìfica; sed fidei monstrum, aut cadaver, vel figmentum. Quæ adduntur ibidem de fide ut conditione prærequisitâ, ad salutarem Baptismi efficaciam percipiendam; quo sensu â nostratibus negetur, sed ut de effectu consequente ipsius ritus: explicatione opus habent. Negamus fidem ut conditionem prærequisitam hoc sensu, ut ante Baptismum collatum in infante requiratur: ajmus verò; fidem requiri non tàm ut *conditionem*, quàm potiùs ut *instrumentum*; quo Gratia in Baptismo oblata baptizatis applicetur. Nec eo pacto deponit fides naturam, aut indolem Effectus

Baptis-

Baptiſmi: Manet namque fructus ſeu effectus Baptiſmi fides in actu regenerationis infanti collata; quo autem momento confertur, eo ipſo ſubit officium manus, & organi, quo ſibi Gratiam in Baptiſmo collatam applicet, & ſic demum conditio prærequiſita ratione fructus ſalutaris percipiendi (ut ut ἀκυρολόγως aut παχυλῶς) vocitari poterit: adeoque non ſolùm ut *Habitus*; verùm etiam ut *actus*, in actu regenerationis conſideratur: vid. hac de re diſputat: IX.

Quæritur Colophonis loco: *utrum errores hactenus commemorati non impingant in Fidei fundamentum*? Negat quidem *Bergius* diſputat. theſ. 95. 96, 97. uſque ad 101. Nos *affirmamus*: Nam Baptiſmi 1. neceſſitas ad ſalutem. 2. ejusdem partes eſſentiales. 3. Efficacia. 4. Unitas; ſunt de fidei fundamento, nemine contradicente, neç quidem audiente, ob clariſſima Scripturæ S. dicta. Atqui errôres Calvinianorum impingunt in illa omnia; ceu hactenùs evictum. E. impingunt in ipſum fidei fundamentum.

III. *Anabaptiſtarum*, partim communitèr cum Calvinianis facientium, partim de proprio errantium 1. circa *cauſam Miniſterialem*, promiſcuè baptizandi actum permittendo. 2. Circa *Materialem*, negando cœleſtem partem in Baptiſmo. 3. Circa *Subjectum*, Pædobaptiſmum damnando. 4. Circa *Efficaciam*,

 hanc

hanc Baptiſmo derogando. 5. Circa Formam Exorciſmum execrando.

IV. *Photinianorum* circa hunc articulum, partim cum *Calvinianis*; partim cum *Anabaptiſtis* delirantium vide Dn. *Mentzer. in Exeget. d. l. Membro 7. pag. 430. ſeq.*

V. *Schismaticorum* quorundam, qui verum Baptiſma non tantùm à *Pagano*; verum etiam à *Pſittaco*; immo ab ipſo Cacodæmone inſuper, vel *Diabolo*, adminiſtrari poſſe, magno cum Eccleſiæ ſcandalo, moroſè ſatis, atque impiè defenſum eunt, citra unicum fundamentum ſolidum; Quæ enim probationis loco afferuntur; partim ἀπροσδιόνυσα ſunt; partim obtorto collo ex teſtimoniis Lutheri, & aliorum Theologorum huc attracta: quibus etiam abundè ſatisfactum aliàs; ut ut pertinacia ſemper habeat, quod obloquatur, eoq; contra nitatur; ad quam verò magis magisq; obtundendam non tàm noſtris rationibus; quàm judicio quorundam celeberrimorum Theologorum in ſubſidium vocato utemur.

Judicium Dn. *Meisneri* ſic habet. Quæritur *de Baptismo Pagani, in caſu neceßitatis adminiſtrato, num ille ratus ſit, & efficax?* Hoc ego problema magis otioſum eſſe judico, quàm fructuoſum. Quæritur enim de caſu qui nunquam contigit, fortaſſis etiam nunquam continget: cur igitur de iſto *non ente* multum diſputabimus? Præſuppono autem, quod non

agatur

agatur de Pagano *hypocrita*, qui paganiſmum diſſimulat, & Chriſtianiſmum profitetur, atque ad miniſterium captiosè pervenit (talem enim Baptiſmum eſſe ratum, noſtri vix dubitabunt) ſed de Pagano quæritur *manifeſto*, & *Paganiſmum apertè* profitente, à quo in caſu neceſſitatis Baptiſmi adminiſtratio poſtuletur. Non autem video, quî talis caſus obvenire poſſit. *aut* enim mater vel puerpera ſola eſt cum Pagano; *vel* unà adſunt Chriſtiani, ſi *hoc*; nec puerpera petet; nec Chriſtiani admittent paganum ad baptizandum. Sin *illud*, tum *vel* mater erit *firma*, ut rogare poſſit paganum quò baptizet; *vel* erit prorſus *infirma*, & paganum hoc nomine non rogabit, ſi *prius*, poterit ipſa baptizare, & petere tantum hoc, ut Paganus aquam afferat, & porrigat. Si *poſterius*, procul dubio paganus quippe non rogatus non baptizabit: *vel* ſi fecerit, tum luſus ipſi erit & jocus. Quia igitur caſus iſte duntaxat eſt confictus; nolo de illo multis diſſerere.

Judicium verò Dn. *Hunnii* tale eſt: *An Turca, quatenus Turca, in Chriſtianiſmo conſtitutus poßit verum Baptiſmum adminiſtrare*? Imo, an *Diabolus*, an *Pſittacus* poſſit? *Reſpon.* 1. Quæſtio *ocioſa* eſt, *nihil ad ædificationem faciens*, at *pernicioſa*, multum *contentioni* ſerviens, non igitur movenda, nec *digna*, cui motæ reſpondeatur, cui enim bono? 2. petenda foret

quæ-

quæstionis decisio *ex sacris literis*, sed ubi in illis ea tacta legitur? 3. *Sacramenta* sunt *bona Ecclesiæ*, illi concessit ea DEUS, & *soli* administranda commisit; quare Baptismus non est, qui forsan à *Iudæis*, aut aliis Christiani nominis *hostibus*, ad *illudendum* nostris sacris instituitur: causam existimo hanc esse, quia Ecclesia noluit per istos homines Baptismi sacrum taliter peragi: *neque Baptismus* est, quem *pueri* invicem ludendo conferunt, quod de Div. *Athanasio*, ad huc puero, legitur; ideò, quia Ecclesia (cujus *unius* bonum est Baptismus) noluit conferri Baptismum cuiquam per pueros, horumq; lusus: ita, si in actu forsan *Comico*, (quod tamen ad mittendum non est) unus baptizaret alterum, haud puto, quenquam verum Baptismi Sacramentum actu isto ludicro administratum esse, crediturum: quare vero? Quia Ecclesia hoc suum bonum per Comicas personas, & in hoc actu conferre noluit, sed nec velle potuit. Idem de *Turcâ*, *Psittaco*, *Diabolo*, dicendum puto: nam intelligo, *Turcam professione* talem (aliàs, si Christianismum profiteretur, & *vel* in ordinario Ministerio constitutus, *vel* necessitate adductus, baptizaret, retentâ interim occultè religione *Turcicâ*, non posset rejici Baptismus, qui non à *Turca*, *quatenus Turcâ*, sed à *Christiano* hypocritâ esset collatus, & quem Ecclesia per eum conferri voluisset) per quem si Christiani

ſtiani paterentur conferri Baptiſmum, neſcio, an *magis impium*, *quid committere poſſent*, ut omninò exiſtimem, *caſum* illum inter Chriſtianos *dabilem non* eſſe, ideo in negantem concedens dico: Eccleſiam niſi velit Sanctum projicere canibus, & ſeipſam ſuâ auctoritate, ac titulo exuere, non poſſe per Turcam, per Pſittacum, per Diabolum adminiſtrare Baptiſmum. Ideò, quicquid illi facerent, id id fieret, *aut invitâ*, *aut conſentiente* Eccleſiâ: Si *invitâ*, non poſſunt baptizare, *quia Baptiſmus non eſt*, *niſi quem Eccleſia confert*, per ipſos autem non vult conferre: Si *conſentiente*, profectò, *Sacrilegio* iſto ceſſat eſſe Eccleſia; *poteſtatem* Baptiſmi prorſus amittit, nulli ergo eandam conferre poteſt. 3. *Denique*, cum nullâ evidente probatione conſtet, *talem Baptiſmum fore legitimum*; in *negantem* faciliùs eſt deſcendere, & *multò tutiùs*, cum aliàs taliter baptizato per omnem vitam de Baptiſmi accepti veritate *dubitandum* foret, quæ dubitatio Baptiſmum, etſi in ſe legitimum, virtute ſua ſpoliatura eſſet.

De eâdem, & ſimili controverſiâ conſule judicium Dn. *Tarnovii* tract. de Miniſter. lib. 2 cap. 25. Quæſt. 3. p. 971. ubi negat Baptiſmum ab *Hæreticis* in ſubſtantialia Baptiſmi impingentibus, v.g. *Antitrinitariis*, *Arianis*, *Photinianis*, *Macedonianis*, *Manichæis*, *Valentinianis*, &c. Trinitatem blaſphemantibus, in cujus nomine

dan-

dandus est Baptismus (præsertim si error illorum palàm notus fuerit, & publicè grassetur, totamque Ecclesiam occupet) ullâ parte verum, & legitimum à talis Ecclesiæ ministro administratum sperandum esse. Qualis enim est fides Ecclesiæ de hujus articuli substantialibus; talis quoque est *Baptismus*: ex *cap.28. Matth.v.19 & Basilii Epist.78* Atqui fides illarum Ecclesiarum *hæreticarum*, de quibus dictum est, non est vera in substantialibus. Ergo nec Baptismus est verus. Alia est ratio Ecclesiæ *orthodoxæ*, & ministri *Hæretici*, sed *occulti*. Heîc enim Baptismus rectè Ecclesiæ bonum pronunciatur, non ministri: Hic igitur, quantumvis infidelis, & hæreticus, dat, quod est orthodoxæ matris Ecclesiæ publicum, & commune bonum, non quod suum est privatum & singulare. Hæc ex Dn. *Tarnovio*: Quod si igitur Baptismus ab illius generis Hæreticis administratus pro vero, & legitimo minimè agnoscitur: quid jam fiet de Baptismo *Pagani*, & *Diaboli*?

Non absimile est judicium Dn. *Hutteri, l. c. Loc. de Baptismo cap.2. f.649.* ubi negat Baptismum ab *Hæreticis* Trinitatem *non credentibus*; nec in nomine Trinitatis baptizantibus, administratum pro vero, & legitimo esse habendum; si videlicet Ecclesiæ illi de hoc errore baptizantis constiterit, & quidem non

sine

fine aliquâ hæreſeos hujus approbatione. Hi enim, inquit, quia verum Baptiſmum in nomine Sacroſanctæ Trinitatis collatum non ſuſceperunt; utique baptizandi ſunt. Qui Baptiſmus non reiteratio Baptiſmi dici poteſt, aut debet: ſiquidem *nullum* prius Baptismum tales perceperunt: ſed actio illa prior pro *inani ludo potius*, immò veriùs pro *horrendâ* Sacramenti hujus *profanatione*, quàm pro Baptiſmo haberi debet. In quam ſententiam allegat *Canonem Concilii Niceni* contra *Photinianos, Arianos*, & *Antitrinitarios* conſcriptum: in quo definitum eſt; ſi *ab ejusmodi hæreticis ὁμοούσιον trium perſonarum Divinitatis negantibus Baptizati, ad Catholicam Eccleſiam confugiant; ut omninò baptizentur in nomine Trinitatis, &c.* confer cap. 5. fol. 671.

Uberiùs de *Paganorum* Baptiſmi adminiſtratione v.g. non baptizati *Iudæi*, aut *Turcæ* ſententiam hunc in modum declarat; contra reſcriptum *Nicolai Papæ Tom. 3. Concilior. & ſentent. juris Canonici de conſecrat: d. 4. c. quos à Paganis*; in negantem ſimpliciter concedendo, propterea, quod *talis Infidelis, neque de Sacroſancto Trinitatis myſterio rectè credit; neque Chriſti meritum agnoſcit; neque formam, aut intentionem Eccleſiæ ſervare poteſt. Si enim* (Judæus aut Turca) *hæc crederet, & teneret; tùm infidelis non*

ama

ampliùs eſſet: ac proinde talem Baptiſmum pro irrito, inefficaci; imò pro mero ludibrio habendum eſſe concludimus. Hæc verbis Dn. Hutteri l. cit. *cap.5. Quæſt.4. fol.673. ſeq.* Si jam Baptiſmus ab homine Pagano adminiſtratus pro *mero ludibrio* habetur; quo jam in cenſu habebitur Baptiſmus Diaboli?

Cæterùm quo ſenſu loca Tom. 6. Lutheri de miniſterio Diaboli occurrentia, ſint intelligenda; ſufficientèr explicat Dn. Tarnov. *lib. 1. de Miniſter. Eccleſ. cap. 5. pag. 162. 163. 164. &* Dn. Hutter. *l. c. cap. 5. fol. 671.*

DEO regenerationis noſtræ auctori ſempiterna Gloria!